

Letter 244: 30 April 1525, Strasbourg, Capito to Ambrosius Blaurer

The text of the letter is printed in Schiess 1, pp. 119-120, Ep. 93.

Gratia Christi tecum, doctissime vir ac frater in Domino christianissime. Omnia sunt hic plena tumultibus; tot sunt exercitus plebis concitatae, quae primum verbi libertatem petit, deinde allevari tyrannide, qua macerata est miseris modis. Episcopus Spirensis fuga se proripuit ad Budeum; Palatinus elector consilii atque auxilii inops summam salutis in unam arcem
5 Heidelbergensem ponit. Verum Spirensis plebs condiciones episcopo obtulit non abnuendas; praecipua est, ut profligato episcopo idem principem agat; se tum liberaliter et benigne parituram neque laturam amplius tyrannidem sacerdotum Spirensium. Heri super ea re praesente exercitu toto actum est; quo autem pacto discessum sit, crastino resciam. Antonius Engentinus honorifice revocatur, sed negotium habet cum quartana feбри, maleque vereor hominem tam furiosis
10 negociis inutilem futurum; viribus et gratia Domini opus est. Nemini iniurii sunt nisi ecclesiasticis; monasteria expilant, postea demoliuntur, materiam structurae in privatos usus convertunt. Oppida pleraque et arces aliquot nunc occuparunt. Stutgardia et Wirtenbergensis ditio suo principi videtur modo reddita, si nuncii non vani sunt. Mira trepidatio papistarum, nec minor formido huius mundi captatores tenet; opibus suis pessime timent divites. Et nos hic in
15 tam firma urbe non satis securi agimus; proditio aliqua fuit instituta, sed incassum, si veri sunt delatores, imo si verum est indicium proprium. Autores enim talia quaedam in os magistratui comminati sunt; modo tormentis de illis veritatem magistratus inquirat. At nos nihilo secius in Domino confortati pergimus in libertate verbi, adeoque parvas admodum reliquias externi antichristi hic reper[ia]s. Profanos ad munus apostolicum assumimus, qui quidem partim firmi
20 sunt, partim ultroneae operae, quarum audacium timemus in perniciem ecclesiae erupturam tandem, nec tamen hac tempestate arcere possumus. Qui has pertulit, omnia referet ordine. Infinita prope sunt, quae in horas accidunt et mutantur. Iubeo in Domino valere Ioannem Vannium et Bartolomeum Metzler reliquosque verbi synergos, imprimis elegantissimum fratrem tuum Thomam atque Margaritam, sororem incomparabilem. Argen. Ultima Aprilis anno 1525.
25 V. Fabritius Capito, tuus.